

21
1701
145

Q. D. B. F.

NUMIN CONTRA-
CTU INNOMINATO

GERMANIA POENITENTIAM

ADMITTAT,

DISQVIRIT,

SIMUL QVE

AD

COLLEGIUM JURIS UNIVERSALE

GENEROSAM AC NOBILISSIMAM LEGUM

SCIENTIÆ CUPIDAM JUVENTUTEM PERAMANTER

INVITAT

HENRICUS ERNESTUS Seebach/D.

CUR. PROVINC. ET CONSIST. ECCLES.

WITTEB. ADVOC. ORDIN.

WITTEBERGÆ,
Literis GODERITSCHIANIS.

1701.



J. N. J.



Vam de pactis multi difficilem dicunt, hanc ego statuo materiam esse longè facillimam: si modò, quod pauci faciunt (a), à naturali legitimum seu positivum jus accuratè distingvas. Et ne, quò dicta comprobem, exemplum desit, quæstionem, an Germanis in contractu innominato penitere liceat, non saltim quoad tenus affirmabo, sed facili etiam negotio assertum hoc demonstrabo: non obstante, quò dissentientes magni nominis Jcti nituntur (b), argumentò, quòd pactum hodiè sit ejusdem cum stipulatione efficaciam, hæc aurem licentiam penitendi excludat (c). Ut verò ex primis conclusio mea principiis deducatur, ante omnia observandum est, de naturali jure promissionem aliam simplicem esse & unilateralem; aliam verò mutuatam, reciprocam atque bilateralem (d). Et quæmadmodum etiam ista in promittente vinculum obligationis; in promissario autem jus agendi perfectum producit (e): ita hæc per sui naturam utrinque conditionalis est, & proinde in hos quatuor modos: Do, ut des; Do, ut facias; Facio, ut des; Facio, ut facias, necessariò temper incidit: Nec enim plures

a) Vid. Grot. de J. B. & P. Proleg. §. 30. b) Conf. Hahn. ad Wesenb. tit. de Prescript. verb. n. 3. c) L. 3. & 7. C. de Res. permut. d) Cardin. Lugo de J. & J. Disp. 22. n. 59. e) Hahn. Diss. de Pact. tb. 60.

plures ipsâ naturâ duce dari aut excogitari possunt
 mutua promissionis species (f). Cum tamèn fa-
 ctum sub se etiam contineat non factum, isti modi
 non tantùm *affirmando*, sed etiam *negando* concipi
 possunt. E. g. *Do, ut non facias* (g). Quin etiam *mixtum*
 fieri solent, v. g. *Do & facio, ut des & facias* (h). Cæte-
 rum aut *deficit*, aut *existit*, aut deniq; adhuc *pendet* ista
 conditio. Si *deficit*, nulla inter partes nascitur obli-
 gatio; Aut si *existit*, quando nimirum alter ex parte
 suâ fidem datam adimplevit, tunc alter etiam ad pro-
 missum præstandum obstrictus est, & quamdiu illud
 accipiens non fecit, dans potest datum repetere.
 Quamdiu verò ex utraque parte adhuc *pendet*, non
 nascitur obligatio ad præstandum illud, quod pro-
 missum est; bene tamen ad expectandum conditio-
 nis eventum (i): A quo nexu neuter interim se libe-
 rare seu pœnitere potest: quamvis cateroquin illud,
 quod quis ante conditionem impletam dedit, tan-
 quam indebitum tantisper repetere valeat (k). Hæc
 omnia, ut opinor, dicat *jus naturale*, à quo in quan-
 tum recesserit *Romanum*, quod illasâ civium consci-
 entia isti non per omnia servit (l), nunc paucis dispi-
 ciendum est. Videlicet ab initio Reipubl. Romanæ
 non sine ratione, quam Jcti *nomen & causam* voca-
 runt, nonnullis promissionibus, quas proinde *contra-
 ctus* appellarunt, primæva & naturalis vis efficaciter
 obligandi simpliciter relicta; nonnullis verò, quas id-
 eo *nuda pacta* nominarunt, statim subtracta & dene-

)o(2 gata

f) Vultej. ad §. fin. Inst. de Mandat. n. 4. g) Molina de J. &
 J. rom. 2. Disp. 353. n. 5. h) Card. Lugo d. Disp. 22. num. 7.
 i) Turrian. de J. & J. Disp. 53. dub. 9. n. 11. k) L. 16. pr. &
 48. ff. de Condit. indeb. l) Huber. Eunom. Rom. p. 17. & 15.

gata est (m): etiam salvâ pacifcentium conscientia, quoniam, quæ ad naturalem obligationem necessario requiritur, subditorum voluntas & potestas à Principe, cujus arbitrio subditorum actus reguntur, restringi & coarctari potest. Ut taceam, civem, dum generaliter consentit in suæ Reip. leges, adeoque & illas, quæ pactis obligationem subtraxerunt, tacite simul renunciare juri, alias ex pactis quærendo (n). Successu temporis non tantum Prætor ex omnibus pactis exceptionem dedit promissario adversus repetitionem promittentis (o): verum etiam jus Romanum tam Prætorium, quam Civile (p), quibusdam saltim pactis primævam & naturalem vim actiones producendi restituit, & quidem (q) vel propter assistentiam singularis legis: unde *pacta legitima* (r); vel propter coherentiam contractus: unde *pacta adjecta* (s). Cum verò supra dicti contractus ab intrinseco; & pacta tam legitima, quam adjecta ab extrinseco suo adminiculo vulgò *pacta vestita* nominentur: idcirco ad differentiam ab illis reliqua pacta etiamnum dicuntur *nuda* (t), qualia sunt de ineundo contractu omnia (u). Ut verò ad *Contractus* revertamur, horum *alii* à Romanis Legibus ob frequentiore usum (x) nominatam formam, i. e. determinatam & certis limitibus definitam naturam acceperunt; *alii* autem vagæ

juris

m) Hahn. d. Diff. th. 12. & 13. n) Huber. *Eunom. Rom. p. 150*
 & 103. o) L. 7. §. 4. & 5. ff. de Pact. p) Hahn. d. l. th. 29.
 seqq. q) Bachov. ad Treutl. Vol. II. Disp. 19. th. 1. lit. b. in fin.
 r) L. 6. ff. de Pact. s) L. 7. §. 5. ff. eod. t) Hahn. ad We-
 senb. tit. de Pact. n. 2. p. m. 231. u) Hert. *Select. Disp. tom.*
III. p. 404. x) Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. XII. th. 3.
 n. 2.

juris naturalis dispositioni relictū sunt. Illi vocantur
nominati; hi dicuntur *innominati* contractus. Consi-
 stit verò nominata contractuum natura potissimum
 in *objecti & effectus* determinatione. Exemplum hu-
 jus ficit *Locatio & Conductio*, quæ operas non nisi *illi-*
berales (y) & loco mercedis præcisè *pecuniam* (z) ac
 quidem non tantum *numeratam* (a), sed insuper etiam
ab initio certam (b) requirit: alias negotium manet
 contractus *innominatus*; *Do, ut facias* (c). Præterea
 quamvis ex nominato contractu non prius agere
 possim, quam ex parte meâ eundem etiam ipse adim-
 plevi (d): attamen interim non tantum, sed & defi-
 ciente conditione, si nimirum ipse datam fidem vio-
 lem, alter ideò nec datum à me repetere, nec planè
 pœnitendo resiliere potest, sed necessariò, ne cursus
 commerciorum sufflaminetur, adversus me ad im-
 plendum contractum agere debet (e): Quod secus in
 contractibus *innominatis*, in quibus sicuti naturali ju-
 re sunt; ita etiam in foro Romano manent *mutue pro-*
missiones conditionales (f), hoc saltim observatò discrimi-
 ne, quod quamdiu alter ex suâ parte contractum non
 adimplevit, ego Romæ nec ad præstandum promisi-
 sum, nec ad expectandum hujus conditionis even-
 tum obstrictus sum, sed planè pœnitere queam.
 Nam ex solis contractuum *innominatorum placitis*,
 cum tantum nuda sint pacta, nulla nascitur inter Qui-
)0(3 rites

y) L. 5. §. 2. ff. de Præscript. verb. L. 1. pr. ff. si mens. fals. mod.
 dix. z) L. 1. §. 9. ff. Depos. a) Eckolt. ad ff. tit. Locat.
 Conduct. §. 6. b) §. 1. Inst. eod. c) d. §. 1. seqq. d) Carpz.
 Proc. tit. XXII. Art. 3. n. 89. seqq. e) arg. L. 14. C. de
 Rescind. vend. f) Bald. ad L. Petens. 27. C. de Patf.
 n. 45.

rites obligatio (g). Imo quod interim dedi, jure Romano repetere, nec *pacti exceptione* repelli possum: quoniam ibi simplicia saltem seu unilateralia pacta exceptionem operantur; non etiam respectiva seu mutua conditionalia, quippe quæ ante conditionis existentiam ad præstandum non obligant (b). Sed commigremus nunc ex Italia in Germaniam, ubi eundem pactum non modo *exceptionem*, verum etiam *actionem* producit (i), non majorem tamen, quam de jure naturali effectum habere potest. At secundum hujus principia non minus, quam juxta Romanorum leges, ut modò dixi, pacta respectiva seu mutua conditionalia ante existentiam conditionis nequidem exceptionem producant, sed saltem ad eventum conditionis expectandum obligationem, quæ, si illa deficit, statim ipsa etiam evanescit. Stipulationis autem efficacia pacto tamdiu in Germania tribui nequit, quamdiu ibidem inter pactum & contractum nominatum, qualis etiam est stipulatio (k), Germanis non inusitata (l), notabilis admodum etiamnum superest in effectu differentia. Habet enim *stipulatio* non tantum hoc naturale, ut partes ad expectandum conditionis eventum obligentur, cum pactis *commune*; verum etiam præterea istud *proprium* & quasi præcipuum, ut tanquam contractus nominatus, etiam si alter conditionem & fidem datam non adimpleverit, alter nihilominus commerciorum promotorum gratia ad promissum præstandum ad-

strin-
g) *Goëdd. de Contrab. & Commit. stipul. Cap. 1. n. 53.* b) *Cardin. Lugo d. Disp. 22. num. 59.* i) *Schilt. Ex. VIII. tb. 15.*
k) *Goëdd. d. Cap. 1. num. 43. seqq.* l) *Dn. Menk. ad ff. p. 589.*

fringatur (m). Quæ omnia, cum ita sint, vix, salvo tamen aliorum iudicio, dici posse viderur, *excludere pactum hodiè, uti olim & etiamnum stipulationem, pœnitendi licentiam.* Sed habet potius pactum eundem, quem alias de jure naturali, etiam in Germania effectum. Quapropter ibidem pendente reciproca præstationis conditione *ad expectandum* quidem illius eventum; nondum tamen *ad præstandum* promissum partes sibi obligatæ sunt: sed potius, qui dedit, salvâ conscientia datum tantisper repetere valet. Atque si ista conditio ex alterius parte ullò modò defecit, alter nequidem ad expectandum ejusdem eventum obstrictus manet. Cæterum tamen non diffiteor speciatim de *permutatione* singulare quid *Lib. VI. Capitul. Francorum tit. 150.* sequentem in modum dispositum esse: *Commutatio, si non fuerit per vim & metum extorta, valet, qualem & emptio, habeat firmitatem.* Idem iisdem verbis cautum deprehenditur in Legibus Wisigothorum *Lib. V. Tit. IV. C. 1.* Bajuvariorum Lex verò *Tit. XV. C. 8.* ita habet: *Commutatio, hoc est, quod cambias, valet, qualem emptio, habeat firmitatem (n).* Ex hoc unico, quod de innominato contractu adduxi, exemplo facile potest intelligi, quantum intersit, nunquam non *Jus naturale, Romanum, atque Germanicum* accuratè distingvere. Quod sicuti in collegiis meis hactenus facere non neglexi; ita quoque *in universali*, quod nunc ad omnes juris partes denuò auspico, tanto curatius observabo, quanto magis ad salutem studiosæ juventutis promovendam me obligatum profiteor.

Quod

m) *L. 3. & 7. C. de Rerum permut. Cod. LL. Antiq. p. 101. & 1003.*

n) Vid. Lindenbrog.

4237

Quod ergo superest, Vos, *Generosi & Nobilissimi Domini*
Juvenes ad hasce meas, quarum auditâ crastinâ lucis
matutinâ *octavâ* initium facturus sum, prælectiones
juris eâ, quâ par est, humanitate invito. Vos autem
non interruptâ me complectimini benevolentia, ve-
strôqve alacri discendi studiô indies inflammate fi-
deliter docentis ardorem. Sic enim, bona fide spon-
deo, certo certius fore, ut nec *vos* temporis & hono-
rarii; nec *me* suscepti laboris unquam pœniteat.

Dabam in illustri Leucorea d. 9. Octobr.

M DCCl.



ULB Halle

001 507 494


3




TA-50L

VD 18







1701 21/140

2. D. B. V.

NUMIN CONTRA-
CTU INNOMINATO
GERMANIA POENITENTIAM

ADMITTAT,

DISQVIRIT,

SIMULQVE

AD

COLLEGIUM JURIS UNIVERSALE
GENEROSAM AC NOBILISSIMAM LEGUM
SCIENTIÆ CUPIDAM JUVENUTEM PERAMANTER
INVITAT

HENRICUS ERNESTUS Seebach/D.
CUR. PROVINC. ET CONSIST. ECCLES.
WITTEB. ADVOC. ORDIN.

WITTEBERGÆ,
Literis GODERITSCHIANIS.

1701.